

400

L. R. B. V. A. T.

EXERCITATIO ACADEMICA
^{DE}
**SCIENTIA DEI
 M E D I A,**

Opposita Adriano Heereboord.

Philosopho Batavo,

contra quem adseritur,

*Deum non in decreto voluntatis humanae determina-
 tivo scire futura libera conditionata.*

Quam

IN CELEBERRIMA SALANA
 BENIVOLO SUPERIORUM INDULTU

P R A E S I D E

**M. FRANCISCO WOLFIO,
 STRALSUNDENSE.**

*In Acroaterio Philosophorum
 publico eruditorum examini submittet*

**JOHANNES SIGISMUNDUS ROTHIUS,
 SOLANDIO-HEXAPOLITANUS.**

Autor & Respondens.

*ad diem 25. Maji
 An. cIɔ Iɔc LXX.*

TTPIIS SAMUELIS KREBSIL.

I. N. 3.

§. 1.

Acturi de quæstione propositâ: An Deus ante decretum suum prædeterminativum illa, quæ à creaturis liberis sub conditione, contingentem connexionem cum objecto habente, sive illa conditio aliquando sit ponenda in re, sive non, futura sciat? id maxime operam dabimus, ut præmis- sis quibusdam facilius intelligatur, quid inter Nos & Philosophum Batavum in controversiam veniat? Deinde nostram sententiam pro virili, breviter tamen, confirmabimus. Et tandem quibus fundamētis contraria nitatur sententia, lustrabimus, simulque quid ad ea reponi posse visum fuerit breviter, pro ratione instituti insinuabimus. Tu nostris Deus annue Cœptis!

§. 2. Principio quidem, cum vox scientiæ variis apud Philosophos accipiatur significatibus, operæ pretium fuerit, determinare, quo significatu nobis hoc loco veniat scientia. Scilicet sumitur (1.) latissimè, pro quacunque certa & infallibili alicujus veritatis cognitione intellectuali, & ambitu suo complectitur cum objecto- rum, quibus propter evidentiam, assensum aut dissensum præbe- mus, tum veritatum illarum, quibus non propter evidentiam suam sed propter aliud motivū, sine formidine oppositi adhæremus, no- titiam, defectu evidentiæ aliunde compensato. Quomodo, uti ex dictis liquet, habitudinem importat ad scibilia pariter atque cre- dibiaea eaque sub motivo, cùm autoritatis divinæ tum humanæ, quod tūm eam, quæ deest, evidentiam compensat.

§. 3. Deinde aliquanto pressius sumitur vox scientiæ in quan- tum contradistinguitur illi, quæ objecto non evidenti inhæret, cer- titudini, dicitque infallibilem evidenterque cognitionem discursi- vam, qualis v. g. habetur in tertio modo sciendi, ut vocant, ubi ra- tio formalis objectiva intellectum in materialis objecti immotum deducit assensum vel dissensum. Et per hanc acceptionem exclu-
ditur

ditur à ratione scientiæ Fides, ipsa etiam divina, licet vel certitudine scientiam hanc longè superet.

§. 4. Tertiò accipitur scientiæ vox generatim & præcisivè pro certa & evidente alicujus rei cognitione, abstrahendo à conditionibus materialibus, an sit discursiva an verò immediata? Ita enim Svarez *Disp. Met. 30. sect. 15. n. 2. p. m. iii.* quando evolutione & invocationis quæ in voce scientiæ occurrit, se præparat ad tractationem de scientia Dei: *Scientia hic abstractissimè sumitur præscindendo à creatâ & increatâ, & solum significat claram & evidentem ac perf. etam cognitionem seu perceptionem veritatis, seu objecti scibilis, sive illa perceptio fiat per qualitatem sive per substantiam sive cum effectione & receptione, sive absq; his imperfectionibus.* *Conf. m. Ampliſ. Dn. D. Bechman. in accuratissimo de scientia Dei tractatu c. 1. §. 13. p. m. 18.* & citatum *ibid. Didacum Ruiz. disp. 1. de scientia Dei sect. 1. n. 4.* qui Teste Francisco de Oviedo de anim. cont. 7. p. 6. §. 3. p. m. 113. in Tomo de scientia, ubi de hac (scientia de objecto conditionato libero disputans) propriam suam eruditionē superasse videtur, neg₃ inter DD. Scholasticos ullum invenit (Oviedo) quem cum hoc doctissimo viro in hac re comparet. Et in hoc significatu excludit quidem adhæsionem circa objectum obscurum occupatam, non tamen est condistinctum scientiæ in secundo significatu modo adductæ, sed ad eam se habet ut excedens ad excessum, amplum ad non amplum.

§. 5. Ex variis hisce acceptationibus scientiæ nec prima nec secunda, sed sola tertia aliquid momenti in præsenti negotio habet. Licet enim quod attinet primum significatū, non diffiteamur, etiam ab hominibus haberi posse scientiam futurorum liberorum conditionatorum, huc tamen non quadrat scientia in primo significatu; Confirmatur adsertum quoad priorem partem: Si v. g. Deus revelavit, aut adhuc, si vellet revelaret objectum futurum liberum conditionatum, e. g. hoc: Petrus qui vivet in sequenti seculo, vel qui hodie in peccato mortali vivit, finaliter tamen crediturus est, si ipsi auxilia gratiæ sufficientia dedero, tunc sciremus hoc ita esse futurum, quia Deus falli & fallere nescius illud revelavit. Quoad posteriorem partem probatur ex verbis & sensu quæstionis, non enim de quacunque scientiâ, sed de scientiâ divinâ controversia movetur. Quod vero ad secundum attinet significatum quāvis quæri posset: an sit dabilis scientia sive cognitio evidens discursiva de objecto futuro liberulo conditionato, si de potentia absoluta

Dei

Dei velimus loqui? quia tamen persuafissimum nobis habemus, eam excedere vires naturales creaturæ, in Deum autem cadere non posse, proinde & illam acceptiōnem tanquam impertinentem missam facimus. Quid? quod si vel maximè, per impossibile vel possibile, daretur in creaturis, in Deum tamen cadere non potest, quia imperfectionem ponit in habente ipsam (procedere quippe à cognito ad incognitum ponit quandam vacuitatem & potentialitatem ulterius perfectibilem in subiecto) & vel propterea à præsenti tractatione excludenda esset.

§. 6. Circa tertiam acceptiōnem scientiæ notetur, eam in nullo Ente reperiri adeoque nec in ipso Deo, & propterea in quæstione nostra non absolute vocatur scientia, sed scientia cum addito, scientia Dei. Probatur: Scientia enim pro cognitione intellectuali certâ & evidente sumpta, fatente ipso Gigante sui seculi in Scholaisticis Soario, uti eum vocat Rodericus de Arriag. in cursus Philosophici (antiquæ editionis) præfatione ad lectorum, præscindit à cognitione creatâ & increatâ. Ast ubi datur subjectum quod gaudeat scientia quæ neque sit creata neque increata? Certe non nisi in nostris conceptibus, qui unum fibi communem creatori & creaturis cum fundamento in re formant.

§. 7. Non equidem negari potest, dari in Deo scientiam pro cognitione intellectuali certa & evidente sumptam, sed hoc negandum est, dari eam revera in Deo in illâ generalitate, imo in suâ latitudine. Sicuti enim nullum genus utut materialiter verificetur de singulis specierum (an adæquate an inadæquate jam non dicam) in suâ generalitate & in latitudine in ulla specie est, sed semper per differentiam contractum, ita & scientia hoc modo accepta nullibi nisi in statu contractiori reperitur. Quia igitur nos in præsenti non loquimur de scientia ut sic, sed de Scientia Dei, ideò & illam acceptiōnem hinc abesse jubemus.

§. 8. Quando autem restringenda est, commode illud fit per discursivum & non discursivum, & dici potest, quod quum alia sit scientia discursiva, alia non discursiva, discursiva autem in Deum non cadat, sive sit secundum successionem tantum sive secundum causalitatem vid. Thom. p. 1. q. 14. à 7. in corp. ubi sic loquitur: In Scientiâ nostrâ duplex est discursus. Unus secundum successionem tantum sicut, cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelli-

intelligendum aliud. Alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum : liquidum est, nos intelligere per scientiam Dei cognitionem intellectualem certam & evidenter non discursivam sed neq; sic æquivationum finis. Etenim scientia modo dicto accepta & explicata rursus vel est habitualis vel actualis. Habitualis est qualitas quædam in intellecture. licta, quæ instar seminis potentiam intellectivam ad ejusdem speciei actus eliciendos facilitat, & sic ad facile fieri actuum concurrit. Quod si ex actibus præcedaneis genita est, ad similes inclinat intellectum ; si in immediate infusa, rursus similes sibi producit. Actualis verò est ipsa actualis notitia certa, evidens, & non discursiva, sive spectetur ut principium habitualis effectivum, sive ut ab habituali principiatum.

§. 9. Deo non competere habitualem scientiam nostram, in propatulo est, cum sit accidens quoddam ab intellectu tanquam actus à potentia sua receptum & sic realiter à subjecto differens, ei que unitum reale importet compositionem. Sed tale quid de actualissimo & perfectissimo Deo affirmare non possumus citrabla sphemiæ crimen. Dices: depurandos etiam hic terminos, & pondam esse in Deo habitualem scientiam, non quidem formalem, qualem nos descripsimus, sed virtualem, cum Deus idem per suam simplicissimam essentiam præstare possit, quod intellectus creatus beneficio scientiæ habitualis, & sic æquipolleat intellectus divinus intellectui creato habitu scientiæ instruto. Sicuti enim nunc concipimus Deum ut actum primum, nunc ut actum secundum, quamvis revera actus primus in Deo non sit, & propter nostrum intelligendi modum, nihilominus tamen solemus Deo actum primum & secundum tribuere, ita & in præsenti illud possumus salva orthodoxia facere. &. Res ipsa salva est, & quo ad rem hæc objecio non contradicit sententiæ nostræ. concedimus enim utraque manu Deum id posse sine ullo superaddito, per simplicissimam suam Entitatem, quod creaturæ per varia superaddita præstant; neque aliud vi objectionis erit scientia habitualis virtualis in Deo, quam ipse intellectus divinus in quantum concipitur facillime posse cognoscere evidenter & sine discursu objectum propositum. Lis ergo omnis in modum loquendi resolutur, qui, ne quis ansam errandi arripiat, qui vim terminorum non penetrat, sine ullo veritatis dispendio omitti potest,

§. 10.

§. 10. Restat ergo ut de sola actuali scientia nobis h. l. sermo sit. Sed cum scientia actualis modo non uno dicatur, & hanc & quivationem tollemus. Scilicet (α) quædam scientia actualis, est actus realiter productus & in subjecto à se realiter distincto receptus, qualis est actualis scientia in homine (β) quædam vero est actus realiter improductus & irreceptus, sed ipsa essentia ejus, cuius actus dicitur, interim à nobis per modum actus producti & recepti concepta. (γ) potest etiam sumi in præcisione, prout est actualis cognitio à producibilitate & improductibilitate abstrahens h. e. neutram in sua ratione includens per utramq; tamen contrahibilis. Postrema hæc acceptio rursus non nisi in nostris conceptribus est, & sic esse objectivum in intellectu tantum habet. Prima plane ex ultro loco, cum realem compositionem ex subjecto & accidente secum trahat, & inhabente eam vacuitatem quandam per perfectionem de novo accendentem compleibilem supponat. Reliquum igitur est, ut media significatio scientiæ actualis, quo est revera actus improductus, concipitur tamen permodum producti, hic intelligatur. Quæ si quandam alicui videri possit importare imperfectionem, vacuitatem, potentialitatem, componibilitatem, illa non erit intellectui divino intrinseca & realis, sed extrinseca & rationis quæ tantum abest, ut in Deo eam ponat, ut contra luculentissimum de incomprehensibili perfectione Dei & summa nostri intellectus eam non valentis assequi imperfectione testimonium perhibeat.

§. 11. Quando igitur quæritur: An Deus sciat? hoc quæritur: An Deus certò, evidenter, sine omni discursu, aut actu producto, cognoscat objectum illud de quo jamjam sermo erit? Neq; hoc diffitetur Vir ille clarissimus cum quo nobis deinceps negotium erit, quando in meletem. disp. ex Philos. select. volum. 1. disp. 30. tb. 2. in quâ de modo scientiæ divinæ agit, rectissime scribit: Modus scientiæ divinæ est universalissimus; perfectissimus; comprehensivus, quidditativus, adäquatius, clarus & distinctus; verissimus; certissimus & infallibilis, immutabilis; SIMPLICISSIMUS; non per compositionem aut divisionem NON PER DISCURSUM, non à priori aut posteriori, non per speciem intelligibilem intellectui superadditam. Conf. Eund. volum. 1. disp. 29. tb. 2.

§. 12. Cum autem scientia essentiali dicat habitudinem ad rem cujus est scientia, est enim scientia alicujus scibilis scientia;

pro

pro diversitate objectorum multiplex solet in Deo concipi scientia. Quamvis enim ut loquitur Suarez ubi supra, n. 33. in Deo una tantum sit scientia, eaq; simplicissima, formaliter & eminenter continens omnem perfectionem simpliciter intellectualis virtutis, secundum banc tamen in plures scientias per rationem & conceptus inadequatos à nobis distinguitur. Fundamentum autem arripit noster intellectus ex diversitate objectorum ad quæ divinus intellectus alio atque alio modo terminatur. Objectum scibile autem respectu divini intellectus solent constituere aliud primarium aliud secundarium. Primarium dicunt ipsum Deum. Ille enim inter omnia intelligibili est perfectissimum, duratione primum, adæquans sua perfectione ipsam potentiam & actum cognoscentem. Conf. Ampliss. Dn. Bechm. ubi supra c. 2. & ibi citatum Gabr. Biel. in i. dist. 35. q. 3. Secundarium vocant quicquid extra Deum est scibile. Primarium objectum scientiæ divinæ à nostrâ quæstione jam per hoc exclusimus, quod hoc non sit futurum, uti quidem futurum h. l. accipimus, ne dicam libere futurum sub conditione.

§. 13. De secundario autem disquiri posset an detur? Negativa solet tribui Aristoteli & Commentatori vid. B. Slevogt. disp. tb. 17. §. 10. p. 378, quæ ratione hâc svaderi potest, quod intelligibile sit intelligentis perfectio intellectusque transmutetur in intelligibile non quidem crassâ quadam & Physicâ transmutatione, sed intentionaliter, juxta illud: *Intellectus intelligendo fit omnia*. Non vacat jam in mentem Aristotelis & Commentatoris inquirere vid. itid. Slevogt. l. c. §. 12. p. 380. ad rationem dicendum, si quicquam, non aliud per eam evinci, quām Deum non eodem plan modo cognoscere objecta extra se, quo objecta quæ extra cognoscuntur à creaturis: per hoc enim discriminem intellectus finiti & infiniti insinuatur, quod ille sit in potentia ad species ab objectis recipiendas, per quas in actu primo completo constituantur & ad quarum receptionem intentionaliter immutetur, cum de se sit instar tabulæ nudæ. Infinitus vero intellectus, quia est infinitus omnne etiam intelligibile debet cognoscere, jam vero quia creature sunt intelligibles E. debet illas cognoscere. Intelligit autem eas per simplicissimam suam Entitatem, non autem per species quasdam ab iis acceptas determinatur, neque est in potentia ad illas, & hinc longe eminentiori modo easdem cognoscit. Scitè Thom. p. i. q. 14. à 2. 2m quod intellectus perficiatur ab intelligibili, vel assimilatur

latur ei, hoc convenit intellectui, qui quandoq; est in potentia quia per hoc quod est in potentia, differt ab intelligibili & assimilatur ei per speciem intelligibilem, quae est similitudo rei intellectae & perficitur per ipsam, sicut potentia per actum: Sed intellectus divinus, qui nullo modo est in potentia, non perficitur per intelligibile, neq; assimilatur ei, sed est sua perfectio & suum intelligere.

§. 14. Supposito ergo dari objectum secundarium scientiae divinæ, porrò quæritur, quotuplex illud? ut totuplex etiā scientia divina constituatur secundum nostrum concipiendi modum. Hic jam dissentunt autores, aliis duas, aliis tres constituentibus classes, & per consequens illis duplicem, his triplicem ponentibus scientiam divinam. Qui tria faciunt objecta secundaria divinæ scientiae, ita procedunt: Antequam quicquam ex statu meræ possibilitatis in actum objectivum à Deo educeretur, necessariò sese menti divinæ sistebant omnia quæ nullam contradictionem & repugnantiam essendi importabant. Ex horum numero Deus elegit quædam & absolutè determinavit illa in actum entitativum aliquando deducere. Simul autem intuitus est quædam, quæ quidem non erant determinatè futura & absolutè decreta, nihilominus tamen si hæ vel illæ circumstantiæ applicarentur à creaturis libere agentibus, extra causas essent ponenda. v. g. Vedit Deus ab omni aeternitate quod Tyrii, si ipsis signa illa obtigissent, pœnitentiam fuerint acturi, licet hoc nunquam futurum esset absolutè. Ex diversa terminatione ad triplicia hæc objecta secundaria scientia divina ab his Authoribus constitui solet triplex.

§. 15. Sed lubet ipsa verba horum Authorum de triplici hac scientia inmedium asserre. Martinus Bécanus Theol. Schol. tom. I. tr. I. c. 10. q. 1. concl. I. p. m. 23. Triples, inquit, in Deo scientia consti-tui potest. Una merè naturalis: altera merè libera, tertia media. Naturalis est quâ Deus ab aeterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit res omnes possibles. Libera, qua post decretum suæ voluntatis, absolutè & determinatè cognovit omnes res futuras. Media, quâ ab aeterno non absolutè, sed sub conditione cognovit, quid homines & Angeli facturi essent, pro sua libertate, si cum his vel illis circumstantiis in tali vel tali rerum ordine collocarentur. Una ergo possibilium scientia est: due futurorum. Et earum altem conditio-nata, altera absoluta. Rationem hujus denominationis dant hanc: Scientia merè naturalis dicitur tum quia omnem li-berum

berum actum voluntatis antecedit, tum etiam quia Deus necessario & naturaliter per eam cognoscit res possibles. Scientia mere libera dicitur, tum quia sequitur liberum actum divinæ voluntatis, tum quia potuisset Deus non cognoscere res futuras, si nimirum statuisset eas non producere. Media dicitur, quia partim naturali, partim liberæ similis est. Naturali quidem, quod æque prædat omnem actum liberum divinæ voluntatis; Liberæ, quod potuisset non præscire ea, quæ Angeli & homines reverè facturi sunt, si pro suâ libertate non fuissent ea facturi, sed aliquid aliud videtur. *eund. concl. 3. p.m. 24.* & citatum apud eum Molinam.

§. 16. Ex quibus patet (1.) objectum mediæ scientiæ constitui futura conditionata, principium proximum liberam voluntatem creaturarum agnoscendi. Alias monente ibid: Becano n. 6. à nonnemine sub sphæram objecti scientiæ mediæ rediguntur, quæ cunque sub conditione futura sive à principio libero sive à naturali dependeant. (2.) Ex eodem fonte fluit, quo ad rem coincident in hâc sententiâ scientiam simplicis intelligentiæ quam alias etiam vocant simplicem item simplicis notitiæ teste Excellentissimo Dr. johann Christophoro Hundeshagen/ Logic. & Phil. prim. P. Publ. Celeb. Patrono & Præceptore nostro Venerando. in peculiari disputatione de Scientiâ Dei mediâ §. 1. & naturalem, visionis item & liberam. Simplicis intelligentiæ enim scientia solet dici intellectus divinus comprehendens omnia possibilia sub reduplicatione, non autem secundum actuales pro aliquâ differentiâ temporis existentias: Visionis scientia contra dicitur, quâ comprehendit ea quæ actualem existentiam habent in aliquâ, sive presentis sive futuri sive præteriti temporis differentia, in quantum eam habent. (3.) Quæri hic posset ex Becano, si objectum scientiæ mediæ constituant tantum futura dependentia à libero arbitrio creato sub conditione, quorsum & ad quam scientiam Dei ex tribus commemoratis referre velit futura conditionata, dependentia à principio naturali; A mediâ ipse hâc excludit. Ad liberam non spectant, quia sub hanc cadunt absolute futura. Neque etiam ad naturalem pertinere videntur, adæquatum enim ejus objectum constituunt possibilia sub ratione possibilitatis. At hâc futura conditionata à causis naturalibus, formaliter spectari debent sub ratione futuritionis conditionata à causis naturalibus dependentis, non autem sub ratione possibilitatis.

§. 17.

§. 17. Illi contra: inter quos ab Amplissimo Dn. Bechm. in laudato tractatu c. 12. §. 1. referuntur Valentia, Vasquez Bellarminus & Salmero, qui duplēm tantum faciunt scientiam Dei, aliter procedunt: Neque enim prius objectum in primarium & secundarium distingunt, sed objectum scientiæ divinæ ut sic distribuunt in id quod aliter se habere nequit, & id quod aliter se habere potest. Eorum quæ se non possunt aliter habere, scientiam, vocant naturalem, & ad eam revocant (α) ipsum Deum. (β) quælibet extra Deum possibilia sub ratione possibilitatis spectata. Utut enim possibilia hæc, quæ præter Deum dicuntur, naturaliter & necessariò absolute non existant, sed contingenter cum ipsis aliter se habere, & non existere non repugnet, omnia enim habent esse participatum & dependent ab influxu conservativo Dei: Nihilominus tamen repugnat ipsis, ut à possibilitate in classem impossibilium degenerare queant, & manifestam implicat contradictionem, possibile sive id quod fieri non repugnat & esse potest, esse vel fieri impossibile sive tale quod fieri repugnat & esse nequeat, & propterea rectè ad scientiam naturalem pertinent. Eam autem quæ circa objecta quæ se aliter habere possunt, versatur scientia, vocant scientiam liberam. Ei objiciunt omnia extra Deum in aliqua temporis differentiâ, existentia, sive ea fuerint, sive sint, sive futura sint, idque vel absolute vel conditionatè.

§. 18. Et hi medium scientiam inter Naturalem & liberam non admittunt si propriè sumuntur: (Alias si scientia necessaria minus propriè sumatur pro ea quæ antecedit decretum, & libera pro ea quæ posterior est decreto, media inter eas dici potest, cum nec antecedat nec sequatur decretum, sed illud concomitantè includat tanquam unam è conditionibus.) Ratio est, quia non naturale & liberum rationes contradictorias involvunt: Naturale enim est quod non potest, liberū contra, quod potest aliter se habere. Jam vero inter contradictoria non datur medium. Si quaras quorsum referendum sit objectum scientiæ mediæ sive futura libera conditionata, respondebunt illa futura dupliciter posse spectari (1.) formaliter sub ratione futuritionis in quantum si conditio impletetur actum entitativum acquirerent (2.) non sub ratione futuritionis, sed possibilitatis, in quantum ipsis non repugnat existere casu quo impleretur, posita, à quâ suspenduntur, conditio. Priori consideratione integrabunt objectum scientiæ liberæ; posteriori

vero ad scientiam Dei naturalem pertinebunt. *Conf. Georg. de Rho-*
des Theol. Schol. tom. 1. tr. 1. disp. 3. q. 4. sect. 2. §. 1. p. 97.

§. 19. Quamvis autem utriusque sententiæ Patroni quoad rem
sibi non adversentur, accuratiùs tamen hi posteriores loqui &
sentire videntur, idque ob rationem in §. superiori allatam. Inter-
rim tamen loquemur cum priori sententia in subsecuturis, quia
mod⁹ ille loquendi nonnullis fortè usitator, & ut eò melius Autho-
ricum quo res erit contradicamus. Ille enim etiā negat dari scien-
tiā medium, & sic videri poterat cum posteriori hāc sententiā face-
re, sed ille plane rem ipsam negat, objectum sc. scientiæ mediae esse
scibile à Deo ante decretum suum, cum hi non negent objectum
illius scientiæ esse à Deo ante decretum tale scibile, sed tantum ne-
gent, posse illud objectum, medium quandam scientiam inter na-
turalem & liberam constituere, cum sit diverso respectu nunc ad na-
turalem, nunc ad liberam referibile.

§. 20. Quibus præmissis non potest obscurum esse de qua
scientiā Dei nos in quæstione proposita loquamur. Eo ipso enim
dum quærimus, An Deus sciat quæ à creaturis liberis sub condi-
tione futura sunt, insinuamus, nos loqui de scientiā Dei mediā &
quidē ex Beccani hypothesi adæquatū ejus objectū proposuimus,
& querere: An Deus hāc futura sciat, idem est acquirere: An detur
scientia media. Ex aliorum vero hypothesi qui objectum scientiæ
mediae faciunt quicquid sub conditione est contingens, inadæqua-
tum tantum in quæstione objectum scientiæ mediæ est propositum.

§. 21. Sed ut melius intelligatur objectum scientiæ mediæ,
diximus (1.) illud esse futura (2.) à creaturis liberis (3.) sub condi-
tione. De singulis breviter agemus. Futurum docente Johanni
Duns Scoto in 2. Phys. Arist. q. 13. p. m. 229. sumi potest tripliciter (a)
pro eo quod est & erit sine successione temporis sicut dicimus Deus est, &
hoc est improprie quia in æternitate non est prius nec posterius, cum ater-
nitas sit interminabilis possessio vitæ tota simul & perfecta ut patet (1.)
de consolatione, & ideo omnia præterita & futura sunt æquè presentia
in Deo, immo multo perfectiori modo quam aliquid sit præsens mibi cum
Deus sit indistans cuilibet morosæ durationi. (β) pro eo quod est & erit
cum temporis successione, ut creature præsentes circa Deum, ut celum,
homo, & hujusmodi. (γ) pro eo quod nondum est, sed erit. Sed cum
dupliciter aliquid nondum sit, sed erit, proinde futurum in tertio
hoc significatu duplicitet porrò dicitur (1.) pro eo quod nondum
est

est, fuit tamen & erit, quomodo v. g. corpus Abrahā in extre-
mo die reproducendum, est futurum (2.) pro eo quod nondū est,
nondū fuit, sed erit: quomodo v. g. in numero futurorum est
homo post mensem generandus.

§. 22. In nostra quæstione non intelligimus futurum in pri-
mâ & secundâ acceptione Doctoris subtilis, sed in tertiat. De eo
querritur quid sit? Petrus Hurtadus de Mendoza disp. 9. de anim.
sect. 6. subsect. 1. §. 36. p. m. 124. abstractum ejus, futuritionem, di-
cit esse existentiam rei in instanti sequenti connotando carent-
tiā sui in instanti præsenti: Georgio de Rhodes theor. Schol. tom.
1. tr. 1. dis. 3. q. 3. sect. 1. est coexistentia rei & temporis sequentis. juxta
Hurtadum ergo Futuruim est, id quod existet in instanti sequenti
connotans carentiam sui in instanti præsenti. Juxta Georgium
vero est id quod coexistet tempori sequenti. Præferenda tamen vi-
detur descriptio Hurtadi. Nam si ei, quod verba important insiste-
re velis quicquid etiā sit de mente ejus, descriptio Georgii de Rho-
des competit futuro etiam in prima & secunda Scoti acceptione
significato. Etenim & Deus & Cœlum sunt aliquid quod coexistet
tempori sequenti, & quicquid coexistit Nunc præsenti, supposito
quod duraturum sit, coexistet utique Nunc sequenti. Mendozæ
autem descriptio non nisi de fururo in tertio significatu Scoti ve-
rificari potest.

§. 23. Sed non possumus diffiteri, quod etiam Mendozæ descrip-
tio, nisi de futuro in tertiat significatione Scoticâ, prout præscindit
ab eo quod nec est, nec fuit, sed erit, & ab eo quod fuit, non est,
sed erit, intelligatur, vix satisfaciat, nihil enim aliud importat
quam rem quæ nunc non est posteà tamen erit. Et si futurum ita
quis sumat, ei ex aſſe satisfaciet. Quod si vero aliquis illud demum
futurum dicat quod nec fuit unquam, nec est, sed aliquando erit, illi
non poterit satisfacere, cum nihil neget quam existentiā rei in Nunc
præsenti. Et sic dici forsitan posset: Futurum esse id quod nec fuit, nec
est, sed erit; futuritionem autem esse existentiam rei in instanti se-
quenti, connotando carentiam ejus in instanti præsenti & præte-
rito. Sed lis hæc dependet ab acceptione των futuri.

§. 24. Cum autem futurum, ut vidimus, adhuc in nullitatis
statu lateat, & ab eo per aliquod principium in actum entitativum
sit vel effet reducendum, pro ratione hujus Principii, futurum suam
quoq; sortitur denominationem, ita ut si Principium sit ex nume-

to naturaliter agentium, ipsum futurum vocetur necessarium, si vero principium sit liberum agens futurum vocetur Liberum. Quamvis enim si ab ipsis existentiis rerum denominatio sit petenda, futura ad unum omnia possint dici contingentia & libera, cum ita sint, ut ipsis non esse non repugnet, dependeant etiam à causa libere agente & conservante, neque ullum daretur aut dabile esset futurum necessarium; Solus enim Deus est necessariò, sed non est ex numero futurorum: nihilominus rectè à principio extrinseco petitur differentia, ut distingvère liceat inter futura necessaria & libera. In præsenti futura per causas naturales & ad unum determinatas non attendimus; sed illa tantum quæ futura per causas liberas, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis maneant ad per se agere & non agere, agere hoc & illud, hoc & illo modo indifferentes.

§. 25. Cum autem talia principia libera non dentur nisi tria unum increatum, Deus, duo verò creata, homines & Angeli, sequeramus rursus à præsenti tractatione agens liberum increatum, & tantum ad creata, maximè homines, nostras meditationes intendimus. Et hinc in quæstione mentionem fecimus creaturarum libere agentium.

§. 26. Tripliciter autem potissimum ab homine ut principio liberè agente potest aliquid esse futurum (α) per actus elicitos immediatè ab ipsa voluntate (β) per actus aliis potentissimis executricibus voluntatiique subditis imperatos (γ) per impedimentum causis necessariis positum v.g. combustio domus; omnia hæc sub futurum à principio libero agente comprehendimus. Cum verò creature liberæ dupliciter causare possint effectus suos (1.) absolutè determinatè (2.) Conditionate sive sub conditione: ita & futura libera alia sunt absoluta, quæ sc. erunt nulla supposita conditione, alii autem sunt conditionata quæ erunt sub certa tamen conditione, seu ut loquitur Georg de Rhodes tom. 1. tr. 1. dis. 3. q. 4. secl. 1. p. 94 futurum conditionatum est, quod revera erit ex suppositione quod ponatur condicio aliqua. Futurū absolutum dicitur, quod erit independenter ab omni conditione. Hæc futura quando à quâdam potentia attinguuntur v. g. à potentia intellektivâ, vocantur objecta conditionata futura libera, & propositiones de iis formatæ vocantur propositiones conditionatae non quod ipsæ sint necessariæ & illativæ conditionatae sed quod objectū respiciant conditionatum, quare melius vocarentur propositiones de objecto conditionato. Neque enim

enim opus est, ut sint veræ ratione consequentiæ & sint illativæ, sed sufficit si sint veræ ratione consequentis & sint enunciativæ. Nos non de absolute, sed conditionate futuris agemus.

§. 27. Et quamvis alias monente Francisco de Oviedo *ubi supra* punct. 6 §. 1. n. 2. p. m. IIII. propositiones omnes de objecto conditionato soleant vocaride futuro conditionato & sic sub futuris conditionatis contineantur. (1.) propositiones de præsente conditionato, in quibus affirmatur actu aliquid existere sub certa conditione v.g. Si Petrus domi est, scribit, si nunc haberem illum librum ad manus, statim evolvere. (2.) propositiones de præterito conditionato, in quibus affirmatur quod fuisset aliqua res in tempore præterito, si talis conditio esset posita, vel quod fuit, si posita sit conditio v.g. Si Patrē hoc rogassem mihi dedisset, vel si Petr⁹ heri petiisset, Pater ipsi dedit (3.) Propositiones de futuro conditionato v.g. si cras pecuniam accepero, libros emam: vel si habiturus essem pecunias, libros emerē, nos tamen non nisi in tertiat & propriā acceptione eas in præsenti intelligimus. Hæ propositiones sunt in duplii differentia. Aliæ sunt quarum conditio aliquando actum objectivum est habitura reipsa, & proinde de facto erunt. Quomodo se habet hæc: Si Adam peccabit, Christus incarnabitur. Aliæ vero sunt quæ nunquam defacto erunt, quia conditio ipsarum nunquam ponetur, essent tamen aliquando futuræ, si illa conditio poneretur. Et tales vocant purè conditionatas v. g. Si Tyrii vidissent signa, conversi fuissent. Si David apud Ceilitas mansisset, traditus fuisset. Nos ab utroque hoc futuro præscindimus, & loquimur de eo sive ipsius conditio sit ponenda aliquando sive minus.

§ 28. Futura sub conditione à principio creato libero ex trīpli habitudine conditionis ad futurum sive objectum tripliciter possunt distingvi. Interdum n. (α) Conditio necessariam habet connexionem cum objecto futuro, quod quoties usu venit, propositiō est illativa & vera ratione consequentiæ v. gr. in hac. Si Petrus cras in undas se præcipitem dederit, madefiet. Interdum (β) Conditio non nisi contingentem cum objecto habet connexionem. Et tunc propositio non est illativa, nec vi consequentiæ vera, quia illatio, ut bene notat Mendoza mox citandus, denotat necessariam connexionem effectus cum causa, consequentis cum antecedente, sed merè enunciativa & vi consequentis vera. v.g. Si Deus hunc Turcā vocaverit, consentiet illi vocationi. Hic enim minus bene infero.

Deus

Deus vocabit E. Turca consentiet, cum positâ vocatione tanquam conditione indifferens sit ad consensum & dissensum. Interdum (γ) vero nulla inter objectum & conditionem intercedit connexio. Futura conditionata primi generis vocantur cum addito conditionata necessaria, secundi generis dicuntur conditionata contingentia, & tertii tandem ordinis vocantur futura conditionata disparata, non autem futura conditionata absolute & sine addito, quia ut acutissime observat Mendoza ubi suprà sect. 6. subsect. §. n. 28. p. m. 135. non est propositio hypothetica, in qua res significata per hypothesin non est aliquo modo principium aut conditio rei futura.

Quare quando ponitur conditio, à qua non pendet effectus, tunc nec est propositio hypothetica, neq; effectus ille est conditionatus respectu talius conditionis, ut si quis dicat, si Papa dormit Romæ, Turca saltat Constantinopoli, ubi magis denotatur coexistens utriusq; rei quam una conditio alterius ad alteram.

§. 29. Tandem queritur, an futura hæc à Deo ante decretum suum prædeterminans cognoscantur? Hactenus enim plerique cum Thomistæ tum Scotistæ, Lojolitæ, Reformati & Nostrates concedunt, Deum certo præscire hæc futura. Cum autem porro queritur quomodo ea præsciat, tunc scinduntur Authores. Sunt qui dicunt, nulla futura contingentia conditionata, etiā nondisparata, posse certo cognosci à Deo ante omnia sua decreta, sed omnia in decretis conditionatis, quæ circa singula habet. Ita Augustinus Gibbon Theol. Schol. tom. i. tractu 4. disp. 27. dubio 3. pag. 549. & alii. Molina teste Georgio de Rhodes vult, ipsa sciri in ipsa entitate voluntatis super comprehensa. Vasquez & Lessius teste Augustino Gibbon ubi supra, distingvunt inter futura conditionata, quorum conditio est antecedens, & aliquo modo conducens ad eventum. (Sunt quæ supra insinuavimus nondisparata) & inter conditionata purè disparata: Illa, docent, certo cognosci à Deo ante omnia sua decreta efficacia, de his autem negant. Fonseca autem & Arriaga teste eod. futura hæc conditionata etiam disparata cognosci à Deo in seipsis sive in veritate sua objectiva ante omnium decretum affirmant.

§. 30. Quicquid sit de his opinionibus, & si quæ sunt alii, nos in præsenti illud negamus, quod Deus in decreto prædeterminante demum hæc futura sciatur. Non quidem negamus antecedere, secundum nostrum concipiendi modum, quoddam decretum

cretum divinum ipsam futuritionem contingentium conditionatorum, sed negamus in illo decreto tanquam medio & ratione cognoscendi, ipsam futuritionem cognosci, cum hoc decretum non sit nisi prærequisitum ad futuri conditionati existentiam currens, & dicimus, idè Deum præscire hæc futura, quia ipsa tale esse sint aliquando habitura, & non illa tale esse, esse habitura, quia Deus prævidit, & prædeterminavit. Prius assertum, quod erat, antecedere quoddam decretum divinum ipsam futuritionem, probatur, quia futura illa non prius determinatum esse habere poslunt, quam causæ libere videantur se determinavisse ad hanc oppositionis partē. At verò causæ secundæ non possunt videri in quam partē se determinaverint, nisi Deus prius decretum illud, de præbendo concursu universali cuique creaturæ pro modo capacitatis & exigentiarum suarum, formarit: ratio est, quia sine hoc decreto (stante quod Deus concurrat) se non possunt determinare; alias essent independentes à concursu causæ primæ eidemque non subordinarentur. Posteriorius vero adsertum, quod erat, in hoc decreto non posse illa videri futura, probatur, quia decretum hoc v.g: Volo cum omnibus creaturis concurrere pro cuiusque exigentia, cum naturalibus naturaliter, cum liberis liberè, neutiquam determinat ad alteram partem, sed habet se per modum prærequisiti ad determinationem à creaturis ipsis liberè factam, adeoque indifferentem adhuc & indeterminatam causam secundam relinquit. Quod ipsum in hac doctrina probè tenendum, apparet enim ex eo, quomodo, licet homo seipsum determinet, & non prædeterminetur à Deo, adhuc tamen sit dependens à concursu divino & minimè per hoc eximatur à censu dependentium, uti quidam nobis perperam ex nostra sententia sequi tribuunt, cum ad huc rectè omnia esse futura possint dependenter à decreto Dei, non quidem prædeterminante, sed concurrendi cum voluntate ad effectus, futuros, absolute, ad conditionatos, conditionate.

§. 31. Similiter non negamus quod ipsam futuritionem antecedat decretū Dei quod habeat se concomitanter cum ipsa determinatione voluntatis sive principii liberi agentis & sit comprincipiū sive concausa, universalis tamen, futuritionis effectus, & exprimi potest hoc modo: Concurram vi mei decreti universalis, de concursu præbendo ad quasvis operationes, etiam ad hanc numero actionem, quandoquidē causa secunda meum concursum universalē

C

liberè

liberè ita determinaverit. Et hoc decretum licet concipiatur prius quam futuritio formalis, non tamen concipitur antecedere determinationem illam, qua voluntas se ipsam liberè determinat, sed eam quasi sequitur, ideo enim Deus agit actum illum, quia cum voluntas agit, & non quia Deus agit, ideo voluntas agit; & magis propriè Deus dicitur coagere voluntati talem actum causando, quam voluntas dicatur coagere Deo, uti accuratissimè, ut solet, B. Slevogt, disp. 4. de indifferent. volunt. §. 46. p. m. 656. ex Gregor. de Ariminoz 2. sent. dist. 27. q. 1. monet.

§. 32: Probatur autem nostra assertio contra hos præminentes, quod Deus in decreto prædeterminante non sciat supra illa (i.) quia tale decretum determinans in ordine ad creaturam tanquam agens liberum non datur; ergo in illo non potest scire illa. Prius probatur; quia cum illâ determinatione non potest stare libertas creata, si sumatur non pro libertate à coactione, sed pro libertate ab intrinsecâ necessitate. Nam Physica illa prædeterminatione inducit necessitatem antecedentem, quæ cum libertate stare non potest. Est autem Necessitas antecedens, quando effectus dependet à Causâ jam ad unum determinata: sicut comitans sine subsequens est, quæ oritur ex ipsa positione effectus, non autem ex causa ad unum determinata. Determinata autem est ad unum voluntas creata, per Physicam illam prædeterminationem, à quâ infallibilitatem effectus suspendunt, cum necessariò agat illud unum ad quod impellitur. Conf. Ampliss. Dn. Joh. Christoph. Hundeshagen P.P. Præceptorem nostrum colendum in Disp. laudat à scientiâ Dü §. 17. Notanter autem dico si sumatur non pro libertate à coactione, sed pro libertate ab intrinsecâ necessitate. Sunt enim ex Reformatis, ut Chamier & Camero, qui teste B. Slevogt. disp. 1. de indifferentia voluntatis π. 6. p. m. 556. putant salvari libertatem sartam teatam in homine, dummodo sit liber à coactione. Sed ut melius intelligatur natura hujus prædeterminationis eam sic accipe à Joanne Debrecino in triad. Exercit. Schol. de Scientia Dei Exerc. 3. a. 5. n. 2. p. m. 158. Neutra bæc necessitas libertatem, contingentiam, aut casum, in causis abolet: Verum ita ordinat, attemperat causas secundu ipsamq; libertatem voluntatis humanae, Non quidem cogendo, interim tamen intrinsecè & Physicè, & per objecta intellectui foris monstrata inclinando, molliterq; flectendo, ut eligat homo spontaneo motu vel reputat, quod Deus ab aeterno justus decreverit. Et rursus ubi supra a. l.

n. 9.

n. 9. p. 179. Deus concurrit tamen Ethicè sive moraliter suadendo flectendo & applicando eas ad operandum, tunc positivè motu prævio & præterminante i. e. actiones causarum secundarum prædeterminando, excitando & ad objecta certa ac specifica applicando. Quia cum prædeterminatione quomodo stare possit libertas voluntatis humanæ non video, ipse quidem hoc dicit sed non probat, nec explicat. Sanè si Deus hominē prædeterminat, quomodo ipse se indifferenter determinare possit ad agendum vel non agendum hoc vel illud agendum, hocvel illo modo agendum, in quā indifferentiā idem a. 15.
n. 6. p. m. 213. formalem rationem libertatis arbitrii humani constituit, ipse viderit.

§. 33. Probatur (2) quia ante decretum illud habent determinatam h. e. non vagam veritatem, cum inter duo contradictionia non detur medium v. g. Ponamus has duas propositiones ante tale decretum Dei: Petrus convertetur, si vocabitur, Petrus non convertetur si vocabitur. Altera harum determinatam habebit veritatem aut non, si illud habetur intentum, si hoc, tunc inter contradictionia admittetur medium.

§. 34. Probatur (3.) eadem veritas ex eo, quod si determinet Deus causas secundas ad suas operationes, ita ut posita illa determinatione non possint non illud, ad quod determinatae sunt, producere, tunc sequeretur Deum prædeterminare ad peccata, & sic Deo, non creaturis imputabuntur peccata, & hæc se excusare poterunt, quod à Deo ad peccandum sint determinatae, ita ut amplius in ipsarum potestate non fuerit non peccare. Neque hic juvat distinctio inter prædeterminationem ad Entitatem & substantiam actus peccati ut Actus est, & ad malitiam ei adhærentem, non illo, sed hoc modo prædeterminantem esse peccati causam. Si enim Deus causa per se est, ejus cum quo necessariò connectitur malitia, & quidem talis causa quæ ita efficaciter inclinat inferiorem ut non possit non ad talem actum concurrere, sequitur ultero, etiā Deo imputandam malitiam quæ cum illo actu necessariò cohæret, ut exemplis variis ex sana ratione petitis, ni res clara esset & brevitatis ratio habenda, probari facile posset. Argumentor autem hoc modo: quicunque suadet, flectit & applicat voluntatem hominis ad actionem cum quā illegalitatem quandam necessariò scit esse connexam, ita ut ea non possit resistere huic suasioni & applicatio-ni, ille utique merito audit causa per se hujus illegalitatis. Atqui

C a

Deus

Deus ita svadet &c: E. Conclusio est blasphema & à Christiano non toleranda. Minor est eorum, qui in decreto prædeterminante futura contingentia conditionata sciri autumant. Major est certa, quia qui actum illegalem committit, si non liberè committed non audit causa peccati, sed is demum qui ipsum ad talem libere determinavit.

§. 35. Hanc vero sententiam gravi censurâ excipit Vir Clariss. Adrianus Heereboord. Philosophus Batavus, in suis meletematis bus Philosophicis, *disp. ex Philos. select. volum. 1. disp. 30.* dum post. quam th. 3. ex mente suâ scientiam Dei, quam vocant, simplicis intelligentiæ & visionis explicasset, subjungit statim eadem thesi: *Præter has duas (simplicis intelligentiæ & visionis) tertiam quan-* dam in Deo scientiam excogitarunt Jesuitæ, eamq; avidè arripuerunt. Remonstrantes, per quam ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis actum futurum, cognoscat, quid liberum arbitrium creatum facturum sit, si in talibus circumstantiis constituatur: Oppositum cogniturus si oppositum voluntas creata, ut potuisset, ita voluisse facere. Una ergo juxta hos est possibilia scientia, nempè simplicis intelligentiæ; sed duæ sunt futurorum, altera absolute, quæ vulgo visionis, altera sub conditione, quæ conditionata dici solet: *Hec cum nec naturalis sit præcisè, nec libera, sed respectu objecti libera, respectu subjecti naturalis, neutrâ & medium eam vocarunt, qui invenerunt: Nam de genuino illius parente, haud segnius ac de puerō vivo conim Salomone meretrices, ipsi inter se certant Jesuitæ, Fonseca, Molina & alii, dum quisq; cerebello suo de partutam generoso ambitiosè gratulatur, ac alter alteri laudem præreptum it.* Hinc censura ejus: *Verum enim vero, inquit, si Monstrum hoc penitus inspexeris, nihil hic nisi antiquorum terminos, & Pelagianorum cramben reponi videbis, nam id circa tanto molimine adstruitur scientia hæc media, ut ei superstruatur prædestinatio ex fide aut operibus prævisis, & Liberi arbitrii idolum super Gratiam eleverit.* Hinc non secus ac si cum hydrâ Lernæ sit congressurus, pergit: *Sed enim operæ pretium fuerit variis argumentis monstrum hoc confodere, quod omisis argumentis ex Scriptura petitis, solidis ex Philosophia rationibus effectum dabimus.*

§. 36. Videbimus jam quam sint solidæ ex Philosophia rationes, quibus hoc se assecuturum sperat, modo hoc rursus moneamus; non omnes scientiam medium facere tertium scientiæ divinæ distinctionis membrum, sed ejus objectum, reipsa non ne-

gata

gata, ad scientiam simplicis intelligentiae & visionis revocare, secuti Thomam qui parte I.q.14.a.9.in conclus. & corpore duplice tantum facit scientiam, Visionis sc. & simplicis intelligentiae. Quod si forte in progressu voce scientiae mediae utemur, fit hoc ideo, quia Vir Clarissimus eam ita distinguit.

§. 37. Arguit igitur (I.) Objectum omnisciencie infallibilis debet esse necessarium. At objectum scientiae mediae vullo modo est necessarium E. objectum scientiae mediae nullo modo est objectum omni scientiae infallibilis. Circa probationem majoris ita discurrit: Quia omnis infallibilitas scientiae fundatur in necessitate objecti, negari potest certitudo mentis sive subjectiva citra omnem certitudinem entis sive objectivam; omnis siquidem certitudo scientiae, presupponit certitudinem existentiae, si non realem & actualem, saltem idealem & causalem. Minorem ita stabilire conatur: Objectum scientiae mediae negari necessarium est, necessitate consequentis negari consequentiae; non consequentis, quia nihil in re praecedit, quod talens necessitatem causavit, non consequentiae, quia sic Petrus positus in talibus circumstantiis cum talibus auxiliis gratiae, quae non necessario aut efficaciter indinarent ejus voluntatem, infallibiliter nihilominus necessario aucto convertetur, conversio enim ista ex conditione futura objectum illis scientiae divinae ac infallibilis, nisi forte medium suam scientiam in Deo esse infallibilem negare ausint, jam vero, hoc contradictionem implicat, ut effectus aliquis sequatur necessario necessitate consequentiae aut infallibilitatis, ex antecedente, aut causa quae aliter & aliter se potest habere, ac deficere & impediri per concursum aliarum causarum, nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab alia causa superiori quae nec deficere potest nec impediri. Sed Deus non determinat causas defectibiles ac impedibiles ad particulares effectus nisi per decre- tum sua voluntatis ergo ante decretum ejus non est necessarium necessitate consequentiae aut infallibilitatis, ut voluntas creata quae ex natura sua est defectibilis & impedibilis, consentiat objecto sibi proposito, aut convertatur, si ponatur in talibus circumstantiis. Hec ille.

§. 37. Respondemus (I.) ad Majorem, eam triplicem posse habere sensum à parte prædicati, sumitur enim necessarium vel (I.) absolute pro eo quod in se est necessarium, & aliter se habere nequit (2.) præsuppositivè & hypotheticè pro eo quod in se quidem est contingens, posito tamē aliquo, aliter se habere nequit (3.) præcisi- vè non attendendo an sit necessarium in se an vero per hypothesin. In

primo & secundo significatu Major fallit una cum probatione quia neutra necessitas, præcisè ut excludit alteram, requiritur ad objectum omniscientiæ infallibilis. In tertio significatu Major quidem est verissima quod objectum omniscientiæ infallibilis debet esse necessarium, sive necessitate absoluta sive hypothetica. Sed tunc respondemus (2.) ad minorem eam negando, quod scilicet objectum scientiæ mediæ nullo modo, hoc est, nec in se nec hypotheticè sit necessarium. Ad confirmationem Minoris dicimus concedendo objectum scientiæ mediæ non esse necessarium necessitate consequentis, an vero habeat necessitatem consequentiæ pendet ab explicatione terminorum. Proinde notandum, distinctionem hanc necessitatis consequentis & consequentiæ primitus fuisse adhibitam à Philosophis Conclusionibus Syllogismorum. Cum enim quædam illarum ita essent comparatae, ut etiam in seclusa forma Syllogistica essent necessariæ, quales sunt v. g. Homo est animal, Deus est Spiritus &c. quædam vero tantum essent necessariæ, in quantum starent in legitima forma, figura & modo; ut homo est doctus, Petrus est albus, tunc ut illas ab his, & contra distingverent illas vocarunt necessarias necessitate consequentis has vero necessitate consequentiæ tantum, quod positis quibusdam demum non possent se aliter habere. Unde patet has duas necessitates sic non esse adæquatè distinctas, cum omnis necessitas consequentis sit etiam consequentiæ, non contra. Hinc traducta est distinctio ad res ipsas & dictæ sunt res necessariæ necessitate consequentis quæ in se & simpliciter sunt necessariæ, contra necessariæ necessitate consequentiæ, quæ non in se sunt necessariæ sed facta demum quadam suppositione.

§. 38. Atque hæc necessitas consequentiæ rursus duplicitate potest intelligi. Aut enim illa tantum dicitur necessitas consequentiæ, quando id quod supponitur, necessariam habet connexionem, cum illo, ad quod supponitur ut v. g. in hac: Si Petrus currit, movetur; vel non tantum de hac, sed simul etiam de illa, ubi aliquid ad alterum supponitur, modo aliquam, sive eam necessariam sive contingentem & non illativam habeat connexionem cum illo ad quod supponitur. Si priori modo explicetur necessitas consequentiæ, tunc negamus in confirmatione, quod statim illud quod non habet necessitatem consequentis & consequentiæ, non sit objectum omniscientiæ infallibilis, cum detur præterea aliquid, quod

tamen

tamen est objectum scientiæ infallibilis, cum habeat determinatam veritatem v. g. Quando suppositio non habet necessariam connectionem cum objecto. Sin vero necessitas consequentiæ intelligatur in posteriori significatu, tunc negamus in confirmatione, quod objectum scientiæ mediæ non habeat necessitatem consequentiæ: connectitur enim, quamvis contingenter, Hypothesis cum objecto.

§. 39. Quod dicit Vir Clariss. contradictionem implicare ut effusus aliquis sequatur necessario necessitate consequentiæ aut infallibilitatis ex antecedente aut causa, quæ aliter atq; aliter se potest habere ac deficere & impediri per concursum aliarum causarum nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab aliâ causâ superiori, quæ nec deficere potest nec impediri. Illud Nos negamus, si hoc de necessitate consequentiæ in posteriori sensu intelligat; bene enim potest effectus necessariò ex hypothesi, & infallibiliter sequi ex antecedente, aut causa Quæ aliter potest se habere ac deficere in sensu diviso, non tamen in sensu reduplicativo, nec opus habet ut à causa impeditili superiori determinetur, sed sufficit, quod seipsum suppositum reliquis principiis, quæ semper includit, jam determinaverit.

§. 40. (2.) arguit hoc modo: Propositiones de futuro contingenti secundum se non habent determinatam veritatem, neg; etiam sunt determinatè falsæ E. ante decretum divina voluntatis prædeterminantis liberum arbitrium ad alteram partem contradictionis vel contrarietas non est scibile, quid in particulari faciet homo aut libere factus esset, si constitueretur in talibus circumstantiis, sed solum quid facere posset. Quia nihil est scibile nisi sit determinatè verum; itaq; si ante decretum voluntatis divina non est determinatè verum, quod Petrus consentiet, si ponatur in talibus circumstantiis, neque id à Deo per scientiam medium scibile erit. Sed Ex. dupliciter posse intelligi propositiones de futuro contingente secundum se non habere veritatem determinatam (1.) quod eam non habeant antecedentem ex causa naturaliter agente (2.) consequenter ab ipsa existentia effectus, prout vagam & indeterminatam existentiam excludit. Priori sensu transeat antecedens, & negetur ex eo sequi ante decretum voluntatis divinæ prædeterminantis liberum arbitrium ad alteram partem, non esse scibile quid in particulari faciet homo &c. sed solum quid facere posset; sufficit enim ad scibilitatem infallibilem determinata objecti veritas posteriori modo sumpta. Sin Poste-

Posteriori sensu, ut sensus sit, eas secundum se non habere veritatem determinatam provenientem formaliter ab ipsa existentiâ effectus prout opponitur vagæ, tunc negatur antecedens. Deus enim quod dicit talia futura, cognoscit ea in seipsis, prout à causâ liberâ quae seipsum jam ad alteram partem oppositionis determinavit, dependent & sic comprehendit ipsa ut sunt jam ad hanc partem à causâ particulari liberâ determinata. Nec exinde sequitur tolli contingentiam, quod contingens ut sic, se habeat omnino indifferenter. **B**eaucoup enim contingens posse dupliciter spectari (1.) Antequam se determinaverit liberum arbitrium ad alteram partem (2.) In quantum jam post determinationem ejus existit. Priori modo contingens habet se omnino indifferenter; et que enim ad esse & non esse est affectum. Posteriori vero modo ob positam hypothesin omnino indifferenter se amplius non habet. neq; vero per hoc quicquam ejus contingentiae detrahitur v. g. Scriptio mea, antequam me ad eam determinarem, omnino indifferenter se habebat ad esse & non esse, posito autem quod actu scribam ex determinatione facta amplius non est omnino indifferenter ad esse & non esse, si enim est, non potest non esse; quis autem dixerit sic contingentiam ab ea tolli?

§: 41. Prævidit hoc Vir Clariss. hinc occupat: Sed ajunt dictum hoc, de futuris contingentibus non est determinata veritas, est falsum: effectum determinate futurum, non excludere indifferentiam causæ, quæ operari possit & non operari, verum actionis, quæ, si secunda sit, etiam si potuisset antea omitti, aliter tum se habere non potest: At hoc non queritur, an actio secunda sit necessaria futura, sed unde ista necessitas? An à terminorum connexione contingent? An à Dei connectentis efficaci decreto? Certè Propositiones hypothetica fortiuntur necessitatem ex infallibilitate illationis partium separatarum. At haec consequentia aut connexionis necessitas in futuris conditionatis, an decretum Dei, reperiri nequit, sicut nec determinata veritas. E. non potest hic queri certa aliqua scientia, quia illud sciri non potest, quod ex parte rei omnino non est cognoscibile. Sed etiam gratis haec evasio profertur, respondemus enim actionis hujus necessitatem, esse effienter à causâ proximâ se jam determinante; formaliter vero à suâ ipsius entitate sive existentiâ, non autem à Dei connectentis efficaci decreto. Quod subjicit Propositiones hypotheticas fortiri necessitatem ex infallibilitate illationis partium separatarum, illud possumus concedere, possumus etiam negare. Concedere

cedere quidem, si omnes propositiones hypotheticas velit esse illativas, sed sic negamus nostras propositiones esse hypotheticas, sed contra dicimus esse purè enunciativas. Negare autem, si quasdam propositiones hypotheticas non illativas velimus admittere, quales sunt, in quibus conditio contingenter cum objecto connectitur. Vide passim DD. Summulisticos, nominatim Petrum Hurtadū de Mendoza. *Sum. diss. 4. sect. 3. p. 8. 9. & 10. p. m. 44.* ubi accuratissime distinguit Propositiones conditionales, quod aliæ sint in materia necessariæ, quæ non solum sint enunciativæ, sed etiæ illativæ; aliæ verò sint in materia contingentia, in quibus conditio sive antecedens requiritur ad effectum ut aliquo modo principium illius, ex quo tamen effectus non necessariò sed contingenter sequatur, quæ non sint illativæ, sed tantum enunciativæ, affirmantes eventum, ad quarum veritatem sufficiat, rem esse sicut enunciatur, non tamen requiratur, ut posito antecedente non possit non ponere consequens, cum antecedens possit esse cum consequente & ejus contradictorio.

§. 42. Tertiò, firmissimum inquit, argumentum deducitur ex dependentia inter causam primam & effectus h. e. inter creatorem & creaturem. Sed quomodo? *Impossibile*, ait, *etiam est, ut aliquis effectus vel sit, vel intelligatur futurus in aliquo casu, nisi dependenter à supremâ causâ efficiente.* Hoc probat: *Entia enim omnia creata non sunt nisi tot emanationes à primâ causâ, qua dependent in esse & operari, ut à sole radii.* **R.** dupliciter prius adsertum posse intelligi (1.) dependenter à supremâ causâ efficiente prædeterminante. (2.) dependenter à supremâ causâ efficiente quomodounque, saltim tanquam comprincipio & causâ universalî à causis secundis determinabili. Priori modo, si intelligatur, tunc non est impossibile, ut aliquis effectus sit futurus independenter à supremâ causâ efficiente & prædeterminante, nec quicquam pro hoc probando confirmatione facit, non autem tollitur dependentia effectus alicujus omnimoda per hoc. Nam si secundo modo accipiatur, tunc utraque largimur manu adsertum unâ cum probatione, quantum quidem rem ipsam concernit. Modum loquendi autem quod attinet, quo dicitur in probatione omnia creata non esse, nisi tot emanationes à primâ causâ, in eo forsitan, si quis velit, desiderare aliquid posset. Si enim accuratè velimus loqui de emanatione, tunc nihil aliud erit, quam immanens, necessaria & perpetua principiati à principio

D

depen-

dependentia. v. g. **Sol respectu lucis, homo respectu admirationis.** Hinc bene **Franciscus de Ovied. de An. cont. 2. p. 1. n. 13. p. m. 32. in fine:** **Simplex emanatio naturâ sua coeva est subiecto, quia cum ab illo oritur necessariò & in primo instanti, in quo subiectum producitur, & est in actu primo ad talem emanationem, per se loquendo in illo in hanc emanationem erumpet.** Quo stante quilibet videt, non esse verum, **Entia creata non esse nisi tot emanationes à primâ causâ, à qua dependent in esse & operari, ut à sole radii, neque enim necessariam, immanentem & perpetuam à prima causa, habent dependentiam, sed liberam & defectibilem potius.** Sed abundet suo sensu, & loquatur tandem uti velit modo rem teneat, de verbis sumus faciles.

§. 43. Quod autem hisce subjungit: *At posita hac scientia media substernitur ei pro objecto libera voluntatis sub tali conditione determinatio, que à nullâ causâ superiori dependet.* Concedimus ibi quidem substerni scientiæ mediæ pro objecto liberam voluntatis sub tali conditione determinationem, interim illud additamentum, quod hæc determinatio voluntatis libera à nullâ causâ superiori dependeat, rursus dupliciter potest intelligi. (1.) quod non dependeat à causa superiori prædeterminante, & sic concedimus totum. (2.) quod non dependeat à causa superiori, h. e. universalí universaliter concorrente & concausante, & sic negamus & per negamus tale substerni objectum scientiæ mediæ. Sicuti enim causa particularis essentialiter subordinatur, & in causando dependet à causa universalí, licet eam determinet, & non ab universalí determinetur, ita etiam libera voluntas licet determinet concursum Dei tanquam causæ universalis, & non ab eâ prædeterminetur, adhuc manet dependens à causa universalí seu à causa superiori.

§. 44. Sed probare nititur adseratum: *Profeicitur enim, inquit, à voluntate creata tanquam à principio primo determinante, in quam etiā ut sic effectus iste reducitur, nam resolvi non potest in decretum Dei, ut in primum determinans, quia jam futurus cognoscitur ante decretum divinæ voluntatis facturi, quod tamen prima est. & universalissima causa efficiens, à quâ non minus, quam à suâ causâ proximâ dependet effectus omnis, sive fuerit is absolutus sive conditionatus.* Ad hanc probationem **BK.** concedendo hunc effectum non resolvi in decretum Dei, ut in primum determinans, sc. adesse specificum. Nec obstat, quod Deus sit prima & universalissima causa efficiens, à quâ non minus quam à causâ suâ proximâ dependet effectus omnis, sive fuerit

fuerit is absolutus sive conditionatus: Neque enim ideo Deus vocatur prima & universalissima causa, quod determinet causas secundas ad specificationem effectuum ab ipsis producendorum, sed quod v. g. ante eum nulla alia causa sit, & quod perfectione inter omnes prima sit; universalissima autem non ab universali determinatione ad specificationem effectuum, sed quod ipsius concursus causis secundis præbendus sit universalis & in omnibus causatum secundarum actionibus æquè imbibitus, qui per particulares causas sit contrahendus secundum viam ordinariam, & determinandus ad certam speciem. Essentialiter itaque dependent adhuc hi effectus à Deo, non ut determinante causam liberam, sed concurrente pro exigentia causæ liberæ & præbente concursum eomodo, quo ab illâ determinatur. Aliud itaque est effectum omnem dependere à Deo, aliud est dependere à Deo, ut determinante principium sive agens liberum. Prius concedimus, posterius negamus, neque enim ab ampio ad non amplum affirmative, aut à non ampio ad amplum negativè procedit collectio.

§. 45. Urget ulterius & dicit: Ut se habet decretum Dei absolutum in ordine ad futurum absolutè: ita se habeat necesse est decretum conditionatum ad futurum conditionate, nam nulla hic est disparitatis ratio, nihil enim sit, futurum aut factum est independenter à decreto divino. Sed neque per hoc quicquam obtinet, licet enim concedamus eandem decreti absoluti & conditionati ad effectum à libero agente producendum esse habitudinem, quia tamen neque futurum absolute per potentiam liberam, determinatur ad esse specificum, à decreto prædeterminante Dei. E. nec Deus prædeterminat voluntatem ad futurum sub conditione, & tamen non eximitur à dependentiâ quam habet à causâ primâ & ejus decreto quale in superioribus explicuimus, sed tantum à prædeterminatione causæ primæ, quod hæc cum libertate est incompossibilis, & Deum facit causam peccati. Sed regerit Vir Clariss. Implicat contradictionem ex concessione etiam adversariorum, ut aliquid sit futurum absolutè, nisi ex decreto Dei decernentis antea ut tale sit futurum absolutè. E. & implicat contradictionem, ut aliquid sit futurum conditionate nisi precedat decretum Dei statuentis, ut futurum illud fiat, si adimplatur conditio. Antequam ad hoc respondeamus, observandum venit futura absoluta esse in dupli differentia. Alia immediate à Deo & sine interventu causarum secundarum dependent, quo-

D 2

modo

modo v.g. Mundus ab æterno ante creationē erat futurus : Alio ve-
ro simul à Deo & causis secundis dependent, quomodo v. g. omnia
quæ à creaturis adhuc absolutè sunt producenda. Futura absolu-
tè prioris generis quæ à solo Deo dependent concedimus, non esse
futura nisi ex decreto Dei decernentis antea ut talia sint futura, de
futuris autem absolutè posterioris generis quæ quidem esse suum
à principio libero habent illud negamus, quod non sint futura
nisi ex decreto Dei prædeterminando decernentis ut TALIA sint
futura v.g. Si quis sibi proponat adulterium committere, quis dice-
ret Deum determinasse voluntatē ad hanc propositionem & decre-
visse illud. Hoc quidem verum est, supponi hic decretum Dei libe-
rum de præbendo concursu cuilibet creaturæ & etiā decretum illud
post determinationem concursus divini factam à causâ particulati.
Negamus tamen, quod Deus prædeterminarit, & decreverit antea
ut tale sit futurum. Post determinationem voluntatis liberam re-
quiritur quidē decretum Dei antequām futurum in actum deduca-
tur, quod Deus velit concurrere sviadendo v. g. ad bonum, per-
mittendo vero & non impediendo malum &c. Sed hoc nihil ad
præsens & in tantū etiam subest directioni & providentiæ divinae.

§.46. Quod autē probationis loco affert: *Omne Ens sive sit futurū
absolutè, sive sub conditione, sive immediate proficiatur à Deo, sive mu-
diantibus causis aliis, intrinsecè dependet ex decreto voluntatis Dei, quis
ejus causalitas & providentia ad quodcumq; Ens in particulari se extendit.*
Ad illud Rz. concedendo dependere omne Ens ex decreto volunta-
tis Dei, non tamen ex decreto prædeterminante, quo non obstante
causalitas & providentia ejus ad quodcumq; ens in particulari nihil
lominus se extendit. Unde nihilminus sequitur quā hoc quod sub-
dit Vir Clariss. sic scientia media quæ omne decretum divinū statuitur
antevertere, prorsus tollitur: *Si enim ante hujusmodi decretum res ne fu-
tura quidem sit, neq; ut talis à Deo præsciri potest ante voluntatis istum ac-
tum. Neq; enim dicimus quod antevertat omne decretum Dei, sed*
hoc tantum, quod antevertat decretū Dei determinans, & conseque-
tē negamus ante hujusmodi decretum prædeterminans rem ne fu-
turā quidem esse. Tandem vult Author ille in conveniens ex nostra
sententiâ elicere dum dicit: *Ex constituta tali rerum serie, hunc ordinē
esse secuturum, ut quia facturus est homo, faciet & Deus, & quia causa se-
cunda facit, faciet & prima, & non contra, cum tamen dicendū sit: Si Domi-
nus voluerit, faciemus hoc aut illud. Sed. Rz. bene dici, quia facturus est*
homo faciet etiā Deus & tamen cōpossibilē cum hoc esse hanc lo-
cutio.

tutionem, si Dominus voluerit faciemus hoc vel illud. Non enim
hujus posterioris sensus est hic, si Deus nos determinaverit ad hoc
aut illud, ergo faciemus hoc, sed dicimus hoc in recognitionem su-
premi Dominii, quod Deus ut in omnes creaturas, ita etiam in nos
habet, & simul insinuamus, nos nihil sine concursu divino & sine
decreto ejus posse agere, cum essentialiter ab eo in agendo depen-
deamus, minimè vero quod nos determinemur a Deo.

§. 47. Quartò dicit th. 7. *Scientia hæc media fatum inducit, ut*
sic loquar, Stoicisimum atq; adeo compedes injicit divine libertati &
providentia. Gravisima sane accusatio, quæ si firmo niteretur
fundamento, sola sufficeret ad destruendam scientiam medium. Ubi
per fatum non intelligit cum Thomap. 1. q. 116. a. 4. con & corp. or-
dinationem causarum secundarum ad effectus divinitus prævisos
hoc est ut Ægid. Rom. in 2. phys. c. 7. q. 9. p. m. 131. explicat: ordinem
causarum secundarum exequentium divinam providentiam, quæ se-
cundum quod est in ipso Deo, coincidit cum providentia, secun-
dum vero quod consideratur in mediis causis a Deo ordinatis ad
aliquos effectus producendos habet rationem fati, vid. eund. Tho-
mam l. c. a. 2. corp. sed seriem & ordinem causarum naturalium que
invitabili necessitate effectum operetur uti hanc sententiam Stoicis
tribuit Ægid. Rom. ubi suprà, conf. letiam Petrum Fonsecam in 6. Met.
Arist. c. 2. q. 2. sect. 5. ubi, quod obiter noto, strenue mentitur, dum
errorem de fatali necessitate post Christi tempora a Simone Mago,
Manichæis, Mahometanis ad Lutheranos derivat. Sed nos nega-
mus & pernegamus scientiam hanc medium fatum inducere. Ille
tamē dicta probaturus, si, inquit, *Deus ante decretum suum prævideat*
*quid reapse facturus sit homo, in quoconq; rerum ordine, si in eo colloce-
tur, omnia evenient necessariò & fatali quādam necessitate, vel à casu re-
spectu Dei. Sed si antecedens hoc intelligatur de decreto prædetermi-
nante, de quo solo hic loquimur, meritò negamus consequentiam.*

§. 48. Nec quicquam in recessu habet confirmatio hæc: *Nam ex*
prævisione futurorum evenient, & prius est, quod ipsa sint futura in re, &
*quod sint hac aut illa, in tali aut tali rerū ordine, quam Deus illa prævi-
deat, aut quam decernat de iis: Nam res non est eventura, quia Deus voluit*
aut scivit, sed scivit aut voluit quia eventura erat. Prius enim Membrū:
*ex prævisione futurorum evenient. Potest intelligi (et) ita, ex prævisio-
ne futurorum tanquam causa evenient, & sic illud membrum est fal-
sum, imo si esset vel maxime verum, esset incompossibile cum
sequentibus, si enim est causa rerū prævisio, non prius ipsæ possunt*

esse futuræ in re, quam Deus illas prævideat. (3) ita potest intelligi,
ex prævisione futurorum evenient, i.e. ita ut prævisa sunt à Deo an-
te decretum evenient, & prius est, quod ipsa sint futura in re &c.
quām Deus illa prævideat sc. in decreto suo libero, quod est actus
voluntatis, quæ est prima contingentia radix, & quia prævisio illa
dependet à rebus ante decretum voluntatis, & sic est ante primam
contingentia radicem, sequitur omnia eventura necessariò & fatali
quadam necessitate, vel à casu respectu Dei, quia fiunt præter in-
tentionem Dei. Quomodo si intelligatur, hæc confirmatio, tunc
¶ ex hoc medio priorem consequentiam non probari. Licit
enim ex prævisione h.e. ita ut prævisa sunt, eveniant omnia ante de-
cretum prædeterminans, cum non detur tale, nondum omnia ne-
cessariò evenient necessitate absolutâ & antecedente, sed hypothe-
ticâ & consequente, quæ fatalem minime ponit. Proficiuntur
enim adhuc cum à principio particulari libero, tum à decreto Dei
libero, non quidem determinante, sed determinato à principio li-
bero, & comprincipiante influxu universali; quod si sic, quia illud
decretum Dei concausans universaliter est liberum, (non enim an-
te hoc futura ut futura videntur) & sic futura intenduntur à Deo, E
non fatali necessitate vel à casu respectu Dei fiunt, & bene adhuc
dici potest: Res non est eventura, quia Deus voluit (prædetermi-
nando) aut scivit (in hoc decreto prædefinitivo) sed scivit aut vo-
luit, quia eventura erat, si scil. suum concursum causæ secundariæ
determinaturæ non subtraheret.

§. 49. Et hinc cadunt etiam sequelæ, quas porrò negat, dum
dicit: Itaque nihil potest disponere divina providentia & potentia, nisi
præscito & prius habito voluntatis creatæ assensu, & exspectata ejus ad
operandum dispositione, atque adeò prævisâ operatione ipsa jam futurum.
In eo enim vel maximè elucet divinæ providentiae dispositio, &
potentia, quod disposuerit concursum suum secundum exigen-
tiām creaturarum, & dum concurrit non determinando voluntati-
tem ad suos effectus, sed patiendo suum concursum à voluntate
determinari h. e. illicò ipsi præsto esse in quacunq; se inclinaverit
partem, disponit utique, ita tamen, ut per hanc liberrimam ordina-
tionem nullos posuerit limites omnipotentiae suæ, sed adhuc possit
agere quæcunque velit. Nec est quod hinc sequi putet, quod si
Deus, qui ut agens liberū, vult, statuit, decernit, determinat hoc vel illud,
neque ullam habet connexionem necessariam cum creaturis, omni plani-
libet.

libertate exuatur atque potentia; quia talis ordinatio à liberrima voluntate provenit regulatâ per sapientiam divinam, & sicuti homo qui se liberè ad aliquid alligavit, si suæ ordinationi convenienter agat, non exuitur libertate & potentia, ita nec illud in Deo est metuendum.

§. 50. Quæ vero exempla pro hoc probando tanquam absurdæ exinde fluentia adducit, dum dicit: neque enim (Deus) misereri poterit quorum vult, neque Christum revelare quibus vult, neque aliter disponere contingentia ista quam sese disposuerunt ante ejus decretum. Horum duo priora pertinent ad Theologiam, & proinde Theologorum examini nobis sunt relinquenda. Ad Tertium autem dicendum loquendo de potentia absoluta id esse falsissimum, de potentia vero ordinata, de qua videtur Autor loqui, licet interdum per gratiam, prohibiciones, comminations &c. faciat, ut principium liberum creatum aliter, quam ante se disposuisset mutatis circumstantiis se disponat, nihilominus tamen non determinat ille ipsum ad aliquid, cum ipsi vim illam determinandi se ipsum, si ponantur prærequisita & comprincipia debita, jamdum concederit. Et si non absurdum est quod Autor ille subdit, si velit (Deus) & finat voluntatem creatam esse liberam ac indifferentem, necesse est (sc. posita illa liberrima ordinatione hoc modo concurrendi) voluntatem suam ac concursum contemperet ei, & velit atque operetur hoc quod ipsa voluerit, & siut voluerit: neque enim Deus nolle potest (potentiâ sc. ordinata, & posito, quod ita ordinaverit) quod liberum arbitrium primum determinans voluerit, salva ejus libertate, cui detrahit nimis, si ipsum Deo subjiceretur (ita scil. ut ab eo determinaretur ad certam actus speciem) homines isti putarent. Quod autem porrò dicit: eos voluntatem creatam, ut reddant liberam, facere sacrilegam, prime & infinitæ causæ limites prescribere, atque adeò Deum liberrimum durissima ac plane fatali necessitate constringere, sic ut ipse non ordinare aut providere rebus, sed providentiam & ordinationem in ipsis rebus inventam ac prævisam acceptare tantum dicendus. Hæc omnia nos negamus, neque enim faciunt voluntatem sacrilegam, cum eam divinæ providentiaz non eximant, nec limites prescribunt Deo, sed quos ipse Deus sapientissimus per liberum decretum sibi ipsi prescrispsit, intra quos secundum legem communem velit manere, illos tuentur, & sic nulla eum necessitate aliâ constringunt, quam quæ se ipse voluit liberrimè constringere, nec aliud dicunt,

ipse:

quam Deum acceptare ordinationem in rebus inventam, quam ipse sapientissime illis indidit, & liberrimè acceptavit sicuti indidit.

§. 51. Quia autem putat hæc adversarios vehementer premere, paulo subtilius se ea excusurum promittit. Et hinc Quinto in libro ita arguit: *Si detur scientia media, qua Deus antecedenter ad omnem decretum (intellige prædeterminans, alias nobis non contradicit) suavoluntatis cognoscat futura contingentia conditionata, ergo essentia divina in ideis suis necessariò ac naturaliter representabit quedam ex his quæ liberè sunt futura.* At hoc absurdum est, & uno absurdo damnata sequuntur (1.) quod creaturæ non pendeant ex liberâ electione voluntatis divinæ (2.) quod non possit Deus aliud facere quam facit. (3.) quod tollatur omnis providentia & gubernatio libera circa creature. Hoc autem absurdum ex consequente absurdo dato fluere prolixè probat in sequentibus, simulque replicam adversariorum de distinctione inter esse & repræsentare creature, quæ obstat videbatur consequiæ quam ex priori dato consequente struxerat. Verum ut brevitati litemus, misso consequente & consequentiæ inde deductarum robore, negabimus consequentiam primam, quod ex scientia media sequatur essentiam divinam in ideis suis necessariò ac naturaliter repræsentare quedam ex his quæ liberè sunt futura. Hanc autem probat dicendo: *quia repræsentabuntur non in divinis decretis, sed antecedenter ad ipsa.* Sed BL. concedendo ea non repræsentari in decretis divinis, sed in seipsis ut objectis terminativis non motivis. Quod autem addit, sed antecedenter ad ipsa, illud aut intelligit de decretis determinantibus, & sic rectè antecedenter ad illa, quia hæc non sunt dabilia de potentia ordinata, sed nihil tunc probatur per hunc terminum medium, falsum enim est, quod videtur hic supponi, non aliud decretum, quam determinatum causæ liberæ ipsa futura contingentia conditionata antecedere: Antecedunt enim ea cum decretum universale: *Ego volo cum omnibus causis secundis concurrere secundum cujusque exigentiam & capacitatem, antecedit ipsa futura & concomitatur ipsam determinationem causæ secundæ decretum hoc: Ego volo etiam ad hunc effectum concurrere, vi meæ ordinationis, quia à causâ secundâ determinor.* Et si de his decretis intelligatur quod dictum fuit, futura illa repræsentari antecedenter ad ipsa tunc hoc negamus, & quia non antecedenter ad ipsa repræsentantur, liberè etiâ repræsentantur, non autem necesse fari,

fariò, nisi necessitate hypothetica, quæ tamen liberam repræsentationem non tollit; quia enim à principio proximo & universalí liberis dependent, ita futura sunt, ut potuerint etiā non esse futura, & per consequens potuerunt etiam non cognosci, & sic liberè. Et sic verum est, quod infra dicit, si Deus decrevisset nunquam producere creature, in hoc casu divina essentia non repræsentaret creature ut verè futuras de facto, cum ordine & habitudine ad realem existentiam earum, sed tantum repræsentaret eas, ut possibles secundum omnes conditiones, quas habere possene.

§ 52. Denique inquit th. 9. nec nodos solvit hæc scientia media in concilianda contingentia & libertate arbitrii cum infallibilitate divinae providentiae & prædestinationis ac gratiae efficacia, sed potius implicat. Hoc ita probat: Nam posita tali scientia antecedenter ad decretum Dei prædestinantis bonum usum arbitrii, futurum ex hypothesi, sequitur eundem bonum usum liberi arbitrii reducendum esse ad aliquid naturale, à quo determinetur, videlicet ad constellationem vel moralem persuationem, vel individualēm complexionem. Sed BL. per bonum usum liberi arbitrii aut intelligit operationes spirituales, aut naturales, si illas, uti quidem videtur innuere exemplum adductum, tunc pertinet ad forum Theologicum, & perinde à nobis, ne falce in alienam mittamus messem, illorum judicio & examini relinquitur. Si verò Naturales, tunc concedimus, utique esse illum bonum usum reducendum ad aliquid naturale à quo determinetur, negamus tamen illud principium determinativum esse constellationem aut præcisè moralem persuationem vel individualēm complexionem, sed in ipsam voluntatem, quæ tales vires habet, ut ipsa se sine alio determinativo possit determinare. Quod autem per hanc Scientiam medium, ut vocant, concilietur libertas arbitrii cum infallibilitate divinæ providentiae, vel ex eo patet, quod Deus intueatur actum sive usum liberi arbitrii, jam ab ipso liberè elicitem, & sic necessitatem nullam ad ejus exercitium potest imponere, neque enim minus hæc scientia supponit suum objectum, per causas secundas productum, quam supponit illud scientia humana per alias causas productum, conf. Pet. à S. Joseph. Theol. spec. idealib. I. c. 12. Ref. I. p. 69. Vedit Vir Clariss. hanc solutionem, hinc anticipare vult eam h. m. Quod dicant voluntatem ex se habere, quod possit se determinare ad alteram partem, quæ sibi placuerit, difficultatem non afferit: Nam licet voluntatis natura consistat in facultate ad utrumlibet,

E

now

non tamen habet nec potest illi competere ex naturâ suâ, quod se determinet ad consensum talis objecti potius quam ad dissensum, nam alioquin per naturum esset determinata ad unum saltem in talibus circumstantiis constituta: Sed RZ. imò verò, quia voluntas est facultas ad utrumlibet propterea habet quod posfit se determinare ad alteram potius quam ad alteram partem. Quod dicitur, sic per naturam eam esse determinatam ad unum saltem in talibus circumstantiis constitutam, id planè gratis dicitur: licet enim habeat facultatem ad hoc illud se determinandi, & indifferentia super potentiam cadat, non tamen cadit eadem super ipsum actum, sed quando jam ad unum se determinavit, in quantum hoc fecit, jam per naturam suam ad unum hoc, ad quod se determinavit liberè est determinata, illæsâ nihilominus manente ipsius libertate. Sic quando jam me determinavi ad scribendum hoc & actu scribo, jam non sum indifferens, in quantum me determinavi, & jam scribo, ad non scribendum, & ad non determinandum me ad scriptionem: quis autem propterea liberè hæc scripta à me esse negaverit?

§. 53. Atque hæc sunt, quæ circa difficilem hanc materiam nobis succurrerunt. Quod si conceptus nostri materiae hujus dignitatis non responderint, & quæ humani ingenii imbecillitas est, debitu hinc inde desideretur *ἀπέλεια*, veniam rogamus, paratisimi ad obsequium ejus, à quo meliora edocti fuerimus. Interim Deo sit Laus, Honor & Gloria in seculorum secula.

Meliora Melioribus!

C O R O L L A R I A.

1. *Quamvis dici soleat ex puris particularibus nihil sequi; exercitū gratiâ tamen adseremus, Ex puris particularibus bene posse aliquid sequi.*
2. *Dictum de Omni & Nullo non est regula omnium Syllogismorum.*
3. *Inter Ens & NonEns dari potest medium.*
4. *Rusticus non est Ens.*
5. *Non datur attributum Entis disjunctum, si accuratè loquamur.*
6. *Q. An creatura possit aliquid ex nihilo producere: & si, an proprium dici debeat Creare?*
7. *Q. quando homo dicitur animal rationale, an hoc sit de essentiâ ejus? N.*

Eximia

Eximio atque Literatusimo
Dn. Johann. Sigism. Rothio,
Phil. & SS. Theol. Cultori Strenuo
Fautor & Amico
dilecto

SCIENTIA DEI MEDIA,

Joh. Christoph. Hundeshagen/ P. P.

Quid sit *JOVA* sciens dum monstras *Praeside claro,*
Evades doctus, quod *scio;* plura precor!

Qui turget studio satis *ardua* dicta sciendi,
& lapidem quemvis *optima* scire movere;
Illum sat certo Sophiae praelustria jam tum
dona manent, dum tunc huic diadema datur.

*Hinc Prae-Eximio Dn. Resp. amico, meo & iam
Contubernali pl. dilecto prolixè gratulor &
optima adprecor*

M. Jo. Mich. Schwimmer/
Facult. Phil. Adjunctus.

SCIRE parit SCIRI! fæcunda Scientia Mater!
Om per & mentes SCIRE scit ire virum.
Tu te scire probas: SE te quoque scire probabunt
Patroni, Docti, Patria, Jova, Parens!

*His pauculis Domino Respondenti
de SCIENTIA DEI MEDIA dispu-
tatuero; gratulatur*

PRÆSES

Dum statuis NUMEN præscire FUTURA, futura
Commoda mille fluent, auguror! inde TIBI.
*Pereximio atq. Praestantissimo Dn. Rothio, Amico meo
Honoratissimo, gratulari sic volui, debui.*
IM/ Johannes Georgius Bindrim.
Meklenburgic.
Quod

Quod Tibi mi Rothi divina Scientia curæ est,
hinc tandem studio digna brabæa feres.

OLIM biec gratulab. animo Adjicere voluit
in gratiam Domini Respondentis

Joachimus Curtius, Z.L.

So stehts mit dieser Kunst/ wers mit ihr herzlich meinet
Lässt sie nicht untergehn / die Feder ist ihr Rohr
Drauff schwimmet sie dahin/ obs gleich gefährlich scheinet/
Sie auch oft tauchen muß / so schwebt sie doch empor
Und führt ihn durch die Lüft. Drüm läßt sich nichts verdriessen
Ein Sinn der dieses weis/ der Fleiß hat seinen Lohn
Wo man sich recht bemüht; das wirstu auch genissen
Wenn dich die Ehr umfangt/ und meint dich ihren Sohn.

Dieses zu Ehren und Wohlgefallen
sagte glückwünschende dem Herrn
Respondenten

Joh. Abraham. von Uchtritz

Quicquid inest votis, laus, fama, secundaque fata;
In finem studii vergat, Amice, tui.

Paucis his perecum. Dn. Rothio
gratulabundus acclamat

J. J. Theisnerus,
Med. Stud.

אשר יודע דערת אלחוט
פָּאֵד חֲכָמָה כִּי פְתִי בְּרַבִּים
הַדָּעָה מַעַט תָּאָפֶת
לְבָנָן גָּסָרְוִי נְחֹרוּתִים:
אמרתי בחרקם

Johannes Albertus Cranzius,
Leori-Elisius.

F I N I S.


bou

VD 74

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

1. Nov. 1999

SLUB DRESDEN



3 0363171

